

# SPICILEGIUM HISTORICUM

## Congregationis SSmi Redemptoris

Annus III

1955

Fasc. 2

---

### FASCICULI

#### SAECULARIBUS SOLEMNIIS DEDICATI

#### PRAEFATIO

Iustum est ac naturale homini pensanti, multo magis credenti, recordationem facere praeteritorum et actorum et factorum quae, retro per annos et per saecula spectanti, fecunda apparent eventuum posterorum, simulque gratam renovare memoriam virorum qui horum eventuum actores fuerunt et promotores.

Elabente hoc anno 1955 plures occurrunt memoriae recordationi dignae sodali qui instituti nostri annales pervolvit.

Maturus aeternitati ipsum fundatorem tantosque praeclaros socios primorum temporum praecessit in caelum GERARDUS MAIELLA, ab ipsa Ecclesia sanctitatis gloria insignitus; ad supernam coronam evolavit MARIA CAELESTIS CROSTAROSA, cuius memoria ab exordiis nostri instituti separari non potest; institutum fuit primum collegium nostrum quod sollicitus noster Parens extra fines patrii regni collocatum voluit, ut institutum, ab impia « regalistici » gubernii potestate liberum, securius venturis saeculis servaretur: agitur de Collegio in loco SANT'ANGELO A CUPOLO, tunc in ditione pontificia sito, quod adhuc florere videmus.

Haec omnia evenerunt *bis centum annis* revolutis.

*Centum et quinquaginta anni* effluxerunt ex quo s. Patris nostri magnus aemulus et instituti nostri eximius propagator, s. CLEMENS M. HOFBAUER, domum apostolicae actioni aptissimam in oppido TRIBERG fundaverit, eheu, quasi subito a conspiratione « iosephina » eversam; exemplum dignissimum, ex aliis tantis gravissimorum laborum, quos sanctus et apostolicus vir Clemens exantlare numquam cessavit.

*Centum* demum enumeramus annos ex quo, summa Congregationis sede, cura imprimis et sollicitudine Sanctae Sedis, et maxime ipsius tunc Summi Pontificis Pii PP. IX gratae memoriae, in Urbe, capite orbis catholici constituta, et primo ibidem celebrato Capitulo generali, fundamenta pa-

rabantur unitatis totius Congregationis, tunc in duos ramos divisae, et mundialis mox futurae evolutionis.

Attamen, ne nimis augeatur numerus paginarum huius fasciculi, argumentum foundationis collegii in VILLA CASERTA ad proximum fasciculum (primum venturi anni 1956) remittimus; de CAPITULO GENERALI vero tam memorabili, propositum nobis est in volumine « Bibliothecae historicae » nostrae ignota documenta fratribus praesentare.

Cum celebratione dicti Capituli generalis connectitur constitutio PROVINCIAE NEERLANDICAE, quae adnexas habuit primas domus futurae provinciae anglicae. Hoc quoque centenarium memoriae dignum hoc fasciculo ignotis illustrabitur documentis.

*Spicilegium* etenim nostrum *historicum*, pro sua indole, tales memorias praeterire nequivit; quapropter in hoc fasciculo documenta quaedam vel studia collegimus personas vel facta memoranda respicientia; liceatque nobis sodalicium nostrum votis ominibusque prosequi, ut — Deo opitulante! — ipsi detur florere in alia saecula.

SOCII REDACTIONIS